

aliis præfert, non indicat; quando præcedentium opinionum omnium Auctorum nomina & cognomina scriperat; non obscurum indicium est, quod opinio, quam sequitur, vel nullum, vel non magni nominis, Auctorem habuerit. Deinde qua veri similitudine Centurionem militum Ministrorum Justitiæ caput appellat? Idem ne sunt apud Scriptorem hunc Bergomensem milites, & lictores, qui sunt justitiæ ministri? Idem Centurio, qui est in militia honoris titulus, ac tortorum primus, qui est infamiæ primatus? Non ergo est ignominia nota, lictores, vel tortores, fuisse, si primæ dignitatis milites illorum munus exercebant.

Calvi autem assertionem neminem prorsus scribentem vidimus, qui vel ante Calvum præfiguraverit; vel post eundem sequutus fuerit. Omnes enim alibi, quam in Brutiis, Centurionem hunc ortum dicunt: tam illi, qui eum cum Longino confundunt, scilicet cum milite illo, qui latus Christi feriit; quam illi, qui eum ab eodem milite fecernunt. Calvus autem, militem, qui Redemptoris latus lanceâ post ejus mortem feriit, ex Euangelio, non lictozem, sed militem, dicit: *Unus militum lancea latus ejus aperuit*. Insuper militem fuisse Asiaticum, Isauriæ natum; & hoc unanimiter Scriptores affirmare, Calvus affirmat. Non ergo Brutii fuerunt milites, qui sub Centurione, in Judæa præsidarii reperiebantur; & qui ad Pilati nutum Christi passioni in Calvario assistentes erant.

Denique in Euangelio non aliam Ministrorum Pilati mentionem habemus, præter milites hosce, quos recensuimus, & duos alios, quorum ignota sunt nomina; qui omnes non sunt, ex eodem Euangelio, plures quam quatuor. Isti fuerunt, qui Christi vestimenta diviserunt, & quatuor fecerunt partes, quia